

Impoeni-
tentia
impedit
voti Re-
gnum
Dei &
aternam
salutem.

quæ nil est nisi gaudiū sempiternum. Atq; hæc est illa lux vitæ æternæ, qua collustrati sunt, quotquot in Christo & quotidiana poenitentia vivunt, cujus exordium & fundamentum est mors Christi. Ecōtra ubi poenitentia nō agitur, ibi gratia exulat; exulante autem gratia, nec Christus adest; quo absente, meritum ipsius nō participatur, & quæ ex illo depēdet, remissio peccatorum. Quæ ubi nō habetur, illic nec justitia est, & consequenter non pax sive bona conscientia, non consolatio, non Spiritus sanctus, nō gaudium cordis & cōscientiæ, non denique vita æterna; sed mors, sed infernus, sed cōdemnatio & tenebrę sempiternę. Unde patet quod in initio assererebamus, eos qui per veram poenitentiam Christo in vita sequi animum non inducunt, à cæcitate cordis sui ipsisq; adeo æternis tenebris non posse liberari.

CAPUT XXXVIII.

VITAM ANTICHRISTIANAM ESSE causam falsæ & hereticæ doctrinæ, indurationis & occæcationis: ubi quædam Prædestinatione inferuntur.

Joh. 12. *Adhuc modicum lumen in vobis*